



**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

cxiv [i.e. v]. Ratio potentiae obedientialis remotae identificatur potentiae
naturali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

Ad producendos verò effectus supernaturales tantùm quò ad modum V. G. ad producendum calorem in subiecto distante, elevatur per decretum, quo Deus hic & nunc supposita illâ distantia, vult præstare suum concursum ordinarium, qui tamen hic & nunc est indebitus. Observandum autem hic est in genere : primò elevationem ab ipsa causa instrumentalis distingui adæquate. Secundò causam instrumentalem per hanc elevationem non fieri intrinsecè potentiore, quia manet intrinsecè æquè impotens, quam erat ante, operari se solâ. Tertiò omne instrumentum propriè tale essentialiter esse principium inadæquatum. Quartò instrumentum obedientiale etiam habens sibi coniunctum comprincipium indebitum non esse adæquate elevatum, quamdiu non habet omnia naturaliter sibi non conjungibilia aut exigibilia, qualiter habito habitu fidei, jam debetur intellectui concursus Dei ad actum fidei.

V. Ratio potentiae obedientialis remotæ identificatur entitati potentiae naturalis, quatenus haec capax est, elevari per comprincipium indebitum ad effectum supernaturalem producendum. Ratio potentiae obedientialis proxi-

proximæ item adæquatè consistit in ipsa potentia naturalis entitate , quatenus hæc respicit comprincipium indebitum actu sibi conjunctum , si illud est qualitas præviâ , vel decretum Dei actu sibi applicatum de præstanto concursu indebito ; cùm enim potentia obedientialis sit id , quod elevatur per comprincipium indebitum , non constituitur partialiter per hoc comprincipium : potentia item obedientialis ut condistincta ab hoc comprincipio (non tamen ut separata ab eo) attingat effectum , hoc comprincipium non est pars intrinseca hujus totius , quod dicitur potentia obedientialis (etsi sit pars hujus aggregati , quod dicitur potentia obedientialis actu elevata ; quod adhuc aliud est , quam potentia obedientialis in actu secundo ; potest enim esse actu elevata , absq; eò quod actu influat in effectum) sed ab ea tantum connotatur . Unde licet dicere : potentia obedientialis & tale comprincipium est unum adæquatum principium talis effectus : non licet dicere ; potentia obedientialis habens sibi conjunctum tale comprincipium , est principium adæquatum . Erit itaq; potentia obedientialis potentia

g

merè

merè naturalis, sed transcendentaliter respiciens effectum supernaturalem à se (nō quidem solā, sed adjutā à cōprincipio indebito) producibilem, & simul illud comprincipium sibi conjungibile.

VI. Potentia obedientialis passiva est quoquè ipsa potentiae passivæ naturalis entitas, quatenus respicit potentiam obedientialem activam, seu agens elevatum comprincipio indebito, potens educere ex se formam, quam nullum agens naturale sibi relictum poterat educere; eo ipso enim, quod elevetur agens seu potentia activa V.G. intellectus ad activè eliciendam fidem, potentia passiva non eget alia elevatione: & hoc modo respiciens effectum supernaturalem ex se educibilem ab agente elevato, dicitur illum continere in potentia obedientiali passiva. Unde infertur, potentiam obedientialem passivam esse principium passivum adæquatum talis effectus: quamvis non negemus, posse quoq; dari potentiam obedientialem passivam, quæ sit principium inadæquatum effectus, si nimirum elevaretur per adjunctum illi comprincipium passivum.

VII. Quam-